



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 46. Facultas Morillonii jussu ad proponendam ei Bullam convocata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. „batur, brevi adventuram esse Bullam
A.C.1567. „unacum censuris, in id tamen incum-
 „bam, ut inter utrumque concordia
 „restitui possit, salva tamen Religione,
 „& præfati Tiletani auctoritate, nam
 „cum illo sanior Facultatis pars con-
 „spirat. Insuper præfatam Bullam com-
 „municabo Albæ Ducis Confessario, (*)
 „ut de ejus mente certior reddar: idem
 „quoque præstabo cum ceteris ejus Or-
 „dinis Fratribus; ut enim rem probe
 „aggrediar, mihi consultum videtur,
 „quod Pepinus Provincialis, necnon
 „Namurcensis, Aethensis in Hannonia,
 „& Audomaropolitanus Guardiani hisce
 „novitatibus olim addicti accersantur,
 „ut eisdem quoque hæc Bulla, ac cen-
 „sura significetur, ne illius ignorantiam
 „obtendere valeant, imposterum autem
 „diversam agendi rationem teneant.
 „Datum Bruxellis die vigesima prima
 „Decembris.,

§. XLVI.

*Facultas Morillonii jussu ad propo-
 neudam ei Bullam convocata.*

Postea Morillonius Bajo demandatum
 sibi negotium, Papæ constitutio-
 nem, necnon ejusdem sicut, & Cardi-
 nalis Granvellani consilia significabat,
 ubi

(*) Erat is ex ordine S. Francisci.

Sæcul. XVI.
A. C. 1567.

ubi mox etiam Bajus Morillonii jussis obtemperabat, seque adeo submissum, ac docilem exhibebat, ut illico Vicarius Generalis sponderet, se die vigesima nona ejusdem Mensis Decembris Lovanium venturum, ut Decano, necnon Facultatis Theologicæ, quæ vulgo *stricta* vocatur, Theologis una congregatis Bulla prælegeretur, eaque omnibus hujus conventus membris communicaretur, quatenus sic ejus tenor omnibus innotesceret, necnon cuncti tam universim, quam particulariter Pontificis decisioni subscriberent, atque opportuna seligerent media, quibus ex Universitate omnes opiniones a sacra Sede proscriptæ eliminarentur, ea tamen lege, ut cuncta clam, atque sine judicii strepitu fiant, ne Michaelis Baji honori exinde præjudicium inferretur: itaque ad Facultatis sententiam Vicarius Generalis provinciam sibi demandatam absque strepitu juxta Pontificis consilium, ac Granvelli Cardinalis mandatum exequebatur, dieque præfixa Lovanium contendit.

§. XLVII.

Decani testimonium de hac Bulla omnibus insinuata.

Percipiamus insuper, qualiter eadem die Jansenius tum Facultatis Decanum, tum G. canus,

Bajan. p. 66.

Hist. Eccles. Tom. XLVIII.

G canus,